

*ipso jure irrita, sed irritanda.* — Ubi tamen notandum est, quod renuntiatio ex causa permutationis, vel in favorem tertii, inconsultis patronis, seu jus eligendi habentibus facta, non sit ipso jure irrita, sed irritanda solum ad horum contradictionem; et, si eorum consensus post resignationem superveniat, ea sit valida. Solet enim superveniens consensus acta firmare, c. *Quod sicut*, 28, de *Election.* ubi in simili dicitur de electione quibusdam contemptis celebrata, quod non sit ipso jure irrita, sed irritanda; nisi hi postea pro bono pacis consenserint. Concordat c. *Cum nos*, 3, de *his, quæ sunt a prelatiis.* cum similibus. Azorius, et Lessius, ubi supra, et alii.

63. *In Curia Romana non admittuntur resignationes Ecclesiarum parochialium, nisi exprimat, per quantum tempus possederit resignans beneficium. Puta, per quinque annos, vel circa.* — Tandem sciendum, quod de facto in Curia Romana non admittantur indistincte resignationes Ecclesiarum parochialium, et aliorum beneficiorum personalem residentiam requirunt, præsertim cum reservatione pensionis ipsi resignanti, vel alteri per successorem præstandæ. Nam juxta stylum Datarie, qui incepit a tempore Gregorii XIV. (vel motu proprio ipsius, ut quidam voluerunt; vel saltem vivæ vocis oraculo, ad Datarium facto, ut vult Pyrrhus Corradus in *Praxi beneficiorum*, lib. V, cap. 1, num. 14.) sic ordinantis, requiritur, ut in supplicatione Pontifici porrecta exprimat, per quantum tempus possederit resignans ejusmodi beneficium: et si tempus illud fuerit breve, rejicitur resignatio. Ita Pyrrhus Corradus, cit. n. 14, subinferens regulariter requiri, quod resignans possederit tale beneficium per quinque annos, vel circa, aut saltem tres; quamvis olim requirerentur septem, vel sex anni.

64. *Dictio illa: Vel circa, quantum temporis importet?* — Idem docet Nicol. Garcias part. XI, de *Beneficiis*, cap. III, n. 45, et seqq. ubi nu. 48 et 49, sicut et Pyrrhus Corradus, loc. cit. num. 15, resolvit, quod dictio illa, *Vel circa*, quantum ad propositum importet sex menses; ita ut narrato, quod possederit quis beneficium per quinque annos, vel circa, sufficiat verificari, quod possederit per quatuor annos cum dimidio. Flamin. Parisius, lib. III, de *Resignat. benefic.* q. 2, n. 21, qui tamen merito addit, quod, si expresso minori tempore nihilominus Papa resignationem admisit, nulli dubium sit hanc valere.

65. *Rigor iste non procedit in resignationibus, quæ sunt extra Curiam in manibus ordinarii.* — Cæterum prædictus rigor procedit solum in resignationibus, quæ sunt in Curia Romana: non item in illis, quæ pure, seu absque reservatione pensionis, sunt in manibus ordinarii; cum de his Gregorius XIV nihil immutaverit, seu de novo statuerit Pyrrhus Corradus, loc. cit. n. 20.

66. *Consecutus Ecclesiam parochialem nondum sacerdos, an eam possit resignare durante anno?* — Atque ex dictis potest colligi solutio illius quæstionis, an videlicet consecutus Ecclesiam parochialem nondum sacerdos, sicque obligatus ad suscipiendum ordinem presbyteratus intra annum, juxta c. *Licet canon.* 14, de *Election.* in 6, possit durante anno, ac etiam ultimo die illius resignare suum beneficium? Resp. enim, juxta stylum Curie Romanæ talem resignationem fieri non posse, nec factam admitti, propter memoratam ordinationem Gregorii XIV, et in Dataria Romana usu receptam: quanquam nihil obstet, quominus talis resignatio fieri valeat in manibus ordinarii, pure tamen, et absque ullo onere. Flamin. Parisius, cit. lib. III, quæst. 2, per totum, ex professo hanc quæstionem examinans, atque post Oldradum consil. 203, § *Circa primam*, et alios, solutis etiam contrariis, ita resolvens.

67. *Renuntiatio beneficii facta ex causa infirmitatis, seu ante mortem, an sit valida?* — Quæritur III. Quid juris de resignantibus causa infirmitatis, seu ante mortem? Resp. I. Quando resignatio beneficii facta est viginti diebus ante mortem clericus resignantis, valida est resignatio, dummodo cætera ad hanc requisita concurrerint. Unde quoad hanc procedunt alia hactenus de renuntiatione beneficiorum dicta, vel imposterum dicenda.

68. *Refertur regula Cancellariæ De viginti.* — Resp. II. Quod si clericus resignans infra viginti dies post factam sui beneficii renuntiationem moriatur, tunc resignatio hujusmodi, ac collatio beneficii postmodum titulo resignationis facta, penitus est nulla, ipsumque beneficium censetur vacare per obitum. Ita communis; et habetur expressum in regulis Cancellariæ, reg. 19, quæ inscribitur *Regula de viginti*, atque sub S. D. N. Innocentio Papa XII, sic sonat: «Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit, sive in Romana Curia, sive

extra illam, aliquod beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illis commendæ cesserit, seu si sui beneficii unionis dissolutioni consenserit etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signata, et postea infra viginti dies, a die per ipsum remanentem præstandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, et ipsum beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.» Hæc ibi.

69. *Et cur Romani Pontifices eam statuerint?* — Quam quidem regulam Cancellariæ Romani Pontifices, pro sua pastoralis sollicitudine, statuere consueverunt ad præcavendum variis fraudibus, quæ cæterquin circa resignationes beneficiorum ecclesiasticorum contingere possent, dum clerici tunc demum vel ex causa permutationis, vel impetrato desuper rescripto Apostolico in favorem tertii, sua beneficia resignare vellent, quando his diutius præ infirmitate, seu mortis instantia, frui non valerent. Et quia hac ratione simul fraudarentur habentes gratiam expectativam Apostolicam super beneficio proxime vacaturo; atque etiam ordinarius collator destitueretur jure suo illud, cæterquin in proximo vacaturum, conferendi; quin et ipsemet resignans videretur quodammodo testari de beneficio suo, aut illud causa mortis donare: hinc, ut obvietur malitiis hominum, non immerito princeps (qui potest licere fictionem haberi pro veritate, ut docet Bartolus in l. *Si is, qui pro emptore*. ff. de *Usucap.*) sive Romanus Pontifex fingit, seu censendum statuit, ejusmodi beneficium vacare per obitum. Sicque non tantum resignatio erit nulla, sed etiam dictam beneficium poterit conferri tanquam vacans per mortem ab eo, cui competit jus conferendi, etiamsi is jam contulisset illud cuipiam ratione resignationis per infirmum factæ. Rebuffus, in *Praxi benefic.* tit. *Additiones ad regulas Cancellariæ*, reg. 19, § *Ipsiumque beneficium*, et alii.

70. *Regula illa non procedit in officiis laicalibus.* — Cæterum, quia dicta regula Cancellariæ expresse loquitur de clericis infirmis resignantibus aliquod beneficium ecclesiasticum, quodcumque illud sit, ac etiamsi foret prioratus, abbatia, vel episcopatus: nam regula generatim loquitur. Hinc imprimis ipsa non procedit in officiis laicalibus,

sive illis, etiam quæ viris uxoris concedi solent. Card. de Luca disc. 6, de *Regularib.* n. 2.

71. *An procedat in ius, qui dum sanus fuerant, resignaverunt, et casu insperato intra viginti dies decesserunt.* — Deinde considerando verba, rationem, et primævam ejus intentionem, dicta regula non procedit in illis, qui dum sani fuerant, resignaverunt beneficium, licet postea casu quodam, aut superveniente morbo inopinato, intra viginti dies eos mori contigerit: nam regula inquit: «Si quis in infirmitate constitutus resignaverit.» Rebuffus, loc. cit. § *In infirmitate*; Joan. de Selva, *Tractatum* tom. XV, tract. de *Beneficiis*, part. III, qu. 46, n. 10, et favet textus in c. *De his qui*, 4, de *Sepultur.* Verum de facto regula locum habet, quotiescumque quis post præstitum renuntiationi consensum moritur infra viginti dies, sive ab initio bene valeret, sive infirmus esset; prout docet Choquier, *Ad regulam Cancellariæ, De viginti*, num. 15, vers. *Itaque frustra*, id probans ex verbis dictæ regulæ, ibi: «Etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signata.» Flamin. Parisius, l. XII, de *Resign. benefic.* qu. 6, n. 7, et seqq. asserens ita hodie communiter hanc regulam practicari, et teneri per omnes, atque istud n. 22, extendens ad eum, qui moritur ex vulnere intra viginti dies; Azorius, part. II, lib. VII, cap. xxviii, quæst. 3; Vivianus, de *Jure patronatus*, lib. XIII, cap. x, n. 86; Rota Romana apud Bichium, decis. 164, n. 14, et alia Rota in una Leodiens. *Beneficium*, 25 maii 1640, coram Cerro, decis. 11, n. 10, asserens ita declarasse Clementem VII.

72. *Tempus viginti dierum, quomodo sit computandum?* — Rursus regula non habet locum, nisi quis infra viginti dies a die præstiti per resignantem (vel per ejus procuratorem) consensus moriatur; prout aperte loquuntur ejus verba. Verum, quomodo hoc tempus viginti dierum sit computandum, non nihil variant doctores. Et quidem Rebuffus, in *Praxi benefic.*, tit. *Regula de Infirmis beneficiis resignantibus*. Glossa, 10, n. 9, et Gomez, quæst. 37, n. 2, asserunt, quod dies consensus non computetur in termino viginti dierum, sed eo excluso viginti dies a die sequenti sint computandi: quia (inquiunt) dictio A denotat exclusionem, arg. c. *Statutum*, 3, de *Prebend.*, in 6, et Clem. *Sicut appellationem*, juncta Glossa, §. *A die, de Appellat.*

73. *Dies isti computantur de momento in momentum.* — Econtra Glossa hujus regulæ affirmat etiam diem consensus includi in numero viginti dierum : cui Mandosius assentitur, quæst. 18, num. 3. Atque hanc sententiam esse utiliore resignanti, ut citius finiatur tempus viginti dierum pro valore suæ resignationis requisitum, tenet Azorius, cit. cap. xxviii, q. 7. Idem tradit Joan. de Selva, cit. tract. *de Beneficio*, part. III, cap. xlvi, n. 11, ubi inquit, quod dicta regula sit intelligenda de viginti diebus naturalibus, scilicet viginti quatuor horarum, arg. l. *More Romano*, ff. *de Feriis* : et quod in præsentī casu dies isti computentur de momento in momentum. Atque juxta hanc sententiam valida erit resignatio, qua quis resignavit beneficium die primo januarii hora septima matutina, si primum moriatur die vigesimo primo januarii hora octava matutina : quia revera intercessissent viginti dies naturales, et de momento in momentum completi. Secus foret dicendum juxta priorem sententiam, quia si excludatur dies præstiti consensus, mors incideret in ipsum diem vigesimum, sicque resignans mori intelligeretur infra viginti dies; nam dictio *Infra* includit sua extrema, et excludit ea, quæ sunt extra, arg. l. 1, § 1, ff. *de Offic. præfecti Urbis*. Barbosa, *de Dictionibus usu freq.*, dict. 161, n. 3.

74. *Dictio A quando stet exclusive, vel inclusive?* — Nec obstat ratio oppositæ sententiæ : quia, licet dictio A stet exclusive, quando alioquin dispositio legis, sive statuti, redderetur odiosa, et vergeret in cuiuspiam præjudicium, seu pœnam; nihilominus dictio A stat inclusive, puta respectu diei, quando exinde dispositio redditur favorabilis, et tendere incipit in alicujus commodum, etsi adhuc stet exclusive respectu momenti. Card. Tuschus, litt. A, concl. 1, n. 26; Barbosa, ubi supra, diction., 1, n. 3, cum aliis. Sic autem accidit in proposito : nam, si computetur dies consensus a momento, quo hic per resignantem præstitus fuit, in numero viginti dierum, salvatur valor resignationis in casu jam posito; simulque restringitur facta per regulas Cancellariæ correctio juris communis, quo quisque libere resignare potest : ac proinde in sæpe dicta regula Cancellariæ, *ly a die* debet stare inclusive respectu diei, et solum exclusive respectu momenti, quo per resignantem præstitus est consensus.

## § VI.

## DE RENUNTIATIONE PURA, ET CONDITIONALI.

75. *Renuntiatio beneficiorum cum primis debet esse pura ab omni pecunia.* — Quæritur I. Qualiter renuntiatio beneficii ecclesiastici debeat esse pura? Resp. I. Renuntiatio beneficiorum cum primis debet esse pura ab omni pecunia, omnique pactione de dando aliquo temporali intuitu ejus : aliter est simoniaca. Ita communis omnium; et patet ex c. *Super hoc*, 6, h. t., et c. *Matthæus*, 23, *de Simonia*, et Extravag., *Cum detestabile*, eod. inter communes, cum similibus.

76. *Si fiat cum pacto, ut resignatarius solvat expensas olim in beneficii assecutione factas, est simoniaca.* — Hinc renuntiatio facta cum pacto, ut resignatarius solvat expensas factas olim a resignante in assecutione illius beneficii, est simoniaca. Flamin. Parisius, lib. IV, *de Resignat. beneficiorum*, quæst. 5, n. 1, asserens esse communem, quam firmavit Rota, die 19 octob. 1553, in una cononicatus sancti Andreæ coram Puteo; Suarez, *de Simonia*, cap. xxxv, n. 24; Zoesius, tit. *de Simonia*, n. 67; Diana, part. X, tract. XIII, res. 1; Lessius, lib. II, *de Justit. et jur.*, cap. xxxv, dubit. 22, n. 94, et alii.

77. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod resignans non petat, nisi se servare indemnem, beneficium autem gratis resignet alteri. Non obstat, inquam; tum quia in beneficiis ecclesiasticis omnis pactio, omnisque conventio debet omnino cessare, c. *Super eo*, 7, *de Transact.*, cap. ult., *de Pactis*, cum similibus; tum quia hæc ipsa responsio reprobat, can. *Si quis objecerit*, 1, q. 3, addita illa ratione : « Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alteram provenit, neutrum inventum derelinquit. » Accedit, quod talis resignans interveniente pacto petat aliquid, et quidem temporale, quod de jure non inest resignationi.

78. *Pactum, ut resignatarius solvat omnes expensas in admissione resignationis, ac expeditione litterarum, est simoniaca.* — Insuper pactum illud, quod resignatarius solvat omnes expensas in admissione renuntiationis, atque expeditione litterarum desuper conficiendarum, ab utraque cæteris faciendas, simoniaca est. Ratio est, quæ supra, ac tenet Flamin. Parisius, cit. quæst. 5, n. 9; Garcias, part. X, *de Beneficiis*, cap. III, n. 148; Sua-

rez, *de Religione*, tract. III, lib. IV, cap. xxxiv, n. 19. Qui tamen recte hoc limitant, nisi talis conventio Pontifici declaretur, et ipse consentiat; siquidem ejusmodi simonia foret dumtaxat ecclesiastica, quam Papa sua auctoritate potest dispellere, ac purgare.

79. *Sicut et pactum, involvens simoniam confidentialem.* — Similiter illicitum est, ac simoniacum, cuiuspiam beneficium procurare, eligendo, præsentando, resignando, aut alia ratione, cum certa confidentia, seu pacto inito, ut is, qui beneficium accepturus est, illud ipsum sibi procuranti, vel alteri, puta nepoti suo, cum fructibus, vel aliqua eorum portione, suo tempore cedat. Hæc enim est ipsissima « Simonia confidentialis, » contra quam Pius IV edidit severissimam bullam, quæ incipit, *Romanum Pontificem* (ac refertur, tom. II *Bullarii Romani*, constitut. 85 dicti Pontificis) in qua sub gravissimis pœnis ipsam prohibuit; eamque prohibitionem innovavit beatus Pius V, in sua constitutione 85, quæ incipit, *Intolerabilis*.

80. *Renuntiatio beneficiorum etiam debet esse pura ab omni pacto, conditione, ac modo.* — Resp. II. Renuntiatio beneficiorum debet etiam esse pura ab omni pacto, conditione ac modo, privata partium auctoritate adjecto : alias censetur simoniaca, et nulla. Ita desumitur ex cap. ult. *de Pactis*, et c. *Quæsitum*, 5, *de Rerum permut.*, cum concordantiis; ac tenet Glossa, in c. *Cum inter R*, 16, §. *Ex consensu, de Election.*, ubi inquit, quod qui renuntiat spirituali juri, sive beneficio, pure et sine aliquo pacto debet renuntiare; alias simoniacum esset : quia non habet ibi locum renuntiatio sub modo, vel sub conditione. Hæc Glossa. Idem docet Abbas, in c. *Super eo*, n. 1, *de Transaction.*, ubi Pontifex, juncto cap. ult. *de Pactis*, expresse dicit, « quod in spiritualibus omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare. » Garcias, part. III, *de Beneficiis*, cap. III, n. 145; Layman, lib. IV, tract. X, cap. ult., § 5, n. 57, allegans communem.

81. *Privata partium auctoritate facto, alias secus.* — Additur notanter, « privata partium auctoritate. » Nam accedente auctoritate legitimi superioris, ac præsertim Summi Pontificis, posse justis de causis quandoque in renuntiatione beneficiorum, præcipue ex causa permutationis facta, secus accidere : illico magis declarabitur in sequentibus quæstionibus. Unde

82. *Renuntiatio beneficiorum ex causa per-*

*mutationis, an sit licita? Proponitur ratio dubitandi.* — Quæritur II. Utrum renuntiatio beneficiorum ex causa permutationis licite fiat? Ratio dubitandi desumitur tum ex Glossa n. 80, relata : tum ex juribus ibidem citatis, quibus probatur, quod renuntiatio beneficiorum debeat fieri omnino pure, et sine ulla pactione, modo et conditione : atqui in permutatione beneficiorum intervenit aliqua pactio, seu conditio, videlicet de dando suo, pro beneficio alterius; ergo ea non videtur licita. Verum pro exacta hujus quæstionis resolutione oportet uti competenti distinctione. Unde

83. *Ea est illicita, et simoniaca, si fiat privata permutantium auctoritate.* — Resp. Quamvis illicita sit, quin et accedente pactione simoniaca, permutatio beneficiorum ecclesiasticorum, si privata auctoritate fiat; atque insuper beneficia sua perdant, qui eadem permulant propria auctoritate : nihilominus licita est resignatio beneficiorum causa permutationis inter personas ecclesiasticas idoneas, auctoritate tamen legitimi superioris interveniente facta. Ita certa, et communis; patentque singula ex diversis textibus juris.

84. *Ea est illicita, et simoniaca, si fiat privata permutantium auctoritate.* — Et quidem prima pars, asserens esse illicitam atque simoniacam permutationem beneficiorum, si fiat auctoritate privata, patet partim ex c. *Majoribus*, 8, *de Præbend.*, ibi : « Divisionem præbendarum, aut dignitatum permutationem fieri prohibemus. » Intellige cum Glossa, ibidem, « sine auctoritate superioris : » nam superior, si expedire viderit, hoc poterit facere, ut dicitur, n. 88 et 89; partim, ex c. *Quæsitum*, 5, *de Rerum permutat.*, ibi : « Generaliter teneas, quod commutationes præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ. » Quamvis hæc simonia, quæ intervenit in dicta permutatione beneficiorum, non sit juris divini (quia non datur temporale pro spirituali, sed unum spirituale, puta beneficium, pro alio), sed simonia juris dumtaxat ecclesiastici, juxta Glossam, c. *Ex parte*, 12, §. *Dimittere, de Offic. delegat.*

85. *Et sic permutantes perdunt sua beneficia.* — Altera vero pars, nempe quod perdant sua beneficia, qui ea propria auctoritate permulant, habetur clare, in c. *Cum olim, de Rerum permutat.*, ubi idcirco unus eorum, qui ad invicem propria auctoritate sua beneficia